



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Antiochenvm Contra Radvlphvm Patriarcham Antiochenum sub  
praesidio Alberici Ostiensis archiepiscopi, & apostolicae sedis legati,  
celebratum anno Domini MCXLII. tempore Innocentii papae II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

quorum consilio idem sanctam ecclesiam exhonoraerat, qui postremo non ob aliud ipsis Londoniensibus fauere videbantur, nisi ut eos pecuniis emungerent.

Interea surrexit quidam, cuius nomen, si bene memini, Christianus, regina, ut audiui, clericus, porrexitque chartam legato, qua ille sub silentio lecta, voce, quantum potuit, exaltata dixit non esse legitimam, nec qua deberet in tanto, presertimque sublimium & religiosarum personarum Conuentu recitari. Præter cætera enim qua reprehensibilia & notabilia erant scripta, testem appositum, qui præterito anno, in eodem, quo tunc sedebant, capitulo venerabiles episcopos maxima verborum affecerit contumelia. Ita illo tricante clericus legationi suæ non defuit, sed præclara fiducia literas legit in audientia, quarum hæc erat summa: Rogabat regina obnixè omnem clerum congregatum, & nuncupatim episcopum Vintoniæ fratrem domini sui, ut eundem dominum regno restituerent, quem iniqui viri, qui etiam homines sui essent, in vincula coniecissent. Huic suggestioni retulit legatus verba in eandem sententiam, qua & Londinensibus. Illi communicato consilio dixerunt, se decretum Concilii conuicaneis suis relaturos, & fauorem suum, quantum possent, præstituros.

Feria quinta solutum est Concilium, excommunicatis ante multis, qui regiarum erant partium, nominatim Vvilielmo Martello, qui quondam pincerna regis Henrici, tunc dapifer Stephani. Iste immaniter exulcerauerat legati animum, multis rebus eius interceptis & subreptis. Itaque multa fuit molis Londinensium animos permulcere posse, ut cum hæc statim post pascha, ut dixi, fuerint actitata, vix paucis ante natiuitatem beati Ioannis diebus imperatricem reciperent.



**CONCILIVM ANTIOCHENVM**  
CONTRA RADVLPHVM PATRIARCHAM  
Antiochenum sub præsidio Alberici Ostiensis archiepiscopi, & apostolicæ sedis legati, celebratum anno Domini M CXLII. tempore Innocentii papæ II.

NOTA.

Occasio  
Concilii.

<sup>a</sup> Concilium. ] Occasionem Concilii celebrati Tyrius lib. 15. cap. 15. his verbis commemorat: Interea legatus quidam ecclesie Romanæ, Petrus nomine, natione Burgundio, Lugdunensis archiepiscopus, missus a domino Innocentio papa, ut causæ prædictæ debitum finem imponat, venit in Syriam, apud Accon applicans. Erat autem vir vitæ & venerabilis, simplex, ac timens Deum, longæuius, & iam in senium vergens. Qui statim, ex quo Syriam ingressus est, Hierosolymam orationis gratia profectus est: vnde sub compendio digressus, vrgentibus eum prædictis Lamberto & Arnulpho, ut Antiochiam, vbi finem impositurus, acceleraret, Accon iterum peruenit: vbi graui correptus ægritudine, antequam

ANNO  
CHRISTI  
1142.

ANNO  
CHRISTI  
1142.



ANNO  
CHRISTI  
1142.

procederet, veneno, vt dicitur, in potu ministrato, subito deficiens, in fata concessit. Prænominati autem patriarcha aduersarii Antiochiam properantes, omnimodo destituti auxilio, spe quoque, quam de aduentu legati conceperant, frustrati, via & laborum, quæ per tot pertulerant tempora, tadio fatigati, per interuētores, quos ad hoc reputabant idoneos, pacem supplices postulant, restitutionem beneficiorum suorum implorant, accusationi renuntiare parati, & fidelitatem exhibere. Lambertus in archidiaconatum restituitur: Arnulphus vero nihil humanitatis inueniens, principis iterum fretus auxilio, solita longanimitate iterum ad labores & iter accingitur: Romamque proficiscens, iterum opportune & importune pulsatus: tandemque precibus proterue insistens, obtinet vt predictus legatus, de quo nobis in presenti sermo est, in Syriam dirigatur. Qui Hierosolymam, vt præmissimus, adueniens, completis orationibus, dominum patriarcham & vniuersos regni pontifices ad Synodum conuocans, apud Antiochiam pridie Kalendas Decembris celebrandam, illuc cum omni celeritate contendit.

De illis qui Concilio interfuerunt, quæque in eo in causa patriarchæ gesta sunt, hæc subiungit: Die igitur statuta adfuerunt de diocesi Hierosolymitana dominus Vilielmus patriarcha, Gaudentius Casariensis archiepiscopus, Anshelmus Bethlehemita episcopus: adfuit & dominus Fulcherus Tyrensis archiepiscopus, sanctæ Romanæ ecclesiæ multum deuotus & fidelis, in quo tota legato spes erat consummationis negotii: erat autem vir magnanimus, & discretus plurimum: adfuit quoque cum duobus de suffraganeis suis, Bernardo videlicet Sidoniensi, & Balduino Berytensi. De prouincia autem Antiochena, quoniam viciniore erant, adfuerunt vniuersi, quorum varia nimis & abinuicem dissona erant desideria. Nam Stephanus Tarsensis archiepiscopus, Gerardus Laodicensis, Hugo Gabulensis episcopi, canonicorum contra dominum patriarcham fouebant causam. Franco autem Hieropolitanus, & Gerardus Coritiensis, Serlo quoque Apamiensis, licet ei ab initio aduersarius fuisset, conuersus ad eum, domino patriarcha suum manifeste præstabat patrocinium; alii in neutram partem manifeste videbantur declinare. Die ergo præfixa, residentibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ex more, in ecclesia principis apostolorum, & pontificalibus indutis, presidente domino legato, & vices domini papæ obtinente, lectus ibi est in publico mandatorum domini papæ tenor. Quo perlecto diligentius, & plenius cognito, prodierunt in publicum accusatores, Arnulphus sæpe dictus, & Lambertus archidiaconus: qui licet prius cum domino patriarcha conuenisset in dolo, & beneficii sui obtinisset restitutionem, tamen conuersus in arcum prauum, denuo se constituit accusatorem. Adiunctique sunt eis alii etiam complures, videntes non satis prospere tempora domino patriarcha respondere. Hic etiam erat illud manifeste verum deprehendere quod Naso noster prouerbialiter dicendum tradidit:

Cum fueris felix, multos numerabis amicos;

Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Procedentes igitur in publicum auditorium accusatores, paratos se dicunt, secundum iuris regulas, porrectis libellis accusatoriis, ad accu-



sandum procedere; & subire, si deficiant, talionem. Erant autem capitula super quibus proposuerant eum impetere schedulis inscripta. Quaedam de enormi & indisciplinato, & contra regulas sanctorum patrum, eius in patriarchatum introitu: quedam de eius incontinentia, & operibus simoniacis. His instanter postulantibus ut se presentem exhiberet, mittuntur qui eum ad Synodum solenniter inuident, & ut ad obiecta veniat responsurus moneant: qui omnino venire refutauit. Ea itaque die nihil amplius processum est in verbo illo, nisi quod exhortatorios habuerunt sermones adinuicem, sicut moris est in talibus. Secunda iterum die, conuenientes denuo, & ex ordine residentes, iterum citatorio edicto dominum patriarcham solenniter vocant: qui, sicut & pridie, omnino venire noluit. Interim Serlo Apamiensis archiepiscopus, in choro pontificum sine veste residens nuptiali, non enim more aliorum indutus erat pontificalibus, a domino legato conuenitur, quare reliquis fratribus non consonaret: & quare ad accusandum, sicut aliquando fecerat, non procederet. Respondit: Quod aliquando feci, inconsulto calore, & contra salutem animae meae, detrahens patri meo, & more maledicti Cham uerenda patris discooperiens, operatus sum: & nunc ab errore deuio, me, auctore Domino, reuocans, nec eum accusare, nec iudicare presumptuose, tentabo; sed pro eius statu & incolumitate paratus sum usque ad mortem decertare. Praecipitur ergo exire: & data in eum sententia excommunicationis simul & degradationis, siue iuste, siue aliter, ab omni officio sacerdotali & pontificali depositus est. Tantus enim timor domini principis, in partem legati nimium procliuus, omnes inuaserat, ut iam nulla contradicendi libertas alicui praestaretur. Incendebat eundem principem, minus prouidum, & indiscretum, quidam Petrus Armoinus, praesidi civitatis custos, vir malitiosus supra modum, sperans, quod si patriarcham deponi contingeret, quemdam nepotem suum, Haymericum nomine, quem dominus patriarcha in suam perniciem eiusdem ecclesiae decanum fecerat, posset per seductum principem in sedem illam prouehere: quod & factum est. Serlo igitur, siue de facto, siue de iure depositus, Antiochia egrediens, in suam diocesim se contulit: perueniensque ad castrum Harenc, aegritudine praeventus, & curarum anxius pondere, lecto decubuit: & conuersus ad parietem, & iniuriarum enormitatem non ferens, exspirauit.

Tertia demum die iterum conuenientes, & residentes ex ordine, tertio dirigunt qui dominum patriarcham peremptorio citent edicto, & ut veniat obiectis responsurus moneant. Qui (utrum conscientiam ueritus, an contra se Synodum inuidiose collectam sciens, & principis violentiam timens, pro certo compertum non habemus) venire, sicut & prius, omnino negauit. Erat autem in palatio suo, cum suis familiaribus, multo stipatus equitum & popularium comitatu: confluxerant enim ad eius subsidium uniuersi de ciuitate: qui nisi principis timuissent potentiam, legatum cum uniuersis, qui in eius depositionem conuenierant, urbe cum ignominia parati erant depellere. Videns ergo legatus quod ad se venire nolebat patriarcha, de domini principis consensu patrociniis & viribus, in palatium ascendit, ibique data in eum depositionis senien-



ANNO CHRISTI 1142.  
*sententia, annulum & crucem compulit violenter resignare: inde, iubente legato, principi traditus, & vinculis miserabiliter alligatus, tamquam vir sanguinum ignominiose tractatus, apud monasterium sancti Simeonis, iuxta mare, in monte eminentissimo situm, carceri mancipatus est. Fuit autem idem dominus Radulphus (nam nos ipsi in nostra pueritia vidimus eum) vir specie decorus, procerus corpore, oculis aliquantulum obliquis, non tamen ad indecentem modum, literatus mediocriter, sed facundus plurimum, & iucundissimi sermonis, multam habens gratiam, liberalis admodum, militarium virorum, sed & secunda classis fauorem non modicum assecutus, promissorum & pactorum facile immemor: in verbo suo varius & inconstans, subdolos, ac nimium in omni via sua multiplex, prouidus & discretus: in eo solo repertus imprudentior, quod aduersarios, quos sibi merito suscitauerat, in gratiam suam redire volentes, non admiserat. Dicebatur etenim, & vere sic erat, arrogans, & de se plus equo presumens: vnde in eum deuenit casum, quem, si aliquantulum circumspicius se habuisset, facile potuisset declinare. Captus ergo, & catenatus, in monasterio diu detentus, tandem elapsus Romam profectus est. Ibi aliquatenus gratiam sedis apostolicae assecutus, dum redire maturaret, veneno hausto, sceleris ministro porrigente, nescimus quo, miserabiliter interit: in seipso, quidquid vtraque fortuna facere poterat, alter Marius, plenius expertus. Hucusque Tyrius.*

Baronius de tempore incertus de hac & sequenti Synodo, plura anno 1136. num. 30. & sequentibus coniungit.

CONCILIVM

ANNO CHRISTI 1143.  
 HIEROSOLYMITANVM  
 SVB EIVSDEM LEGATI APOSTOLICI  
 praefidio contra Armeniorum in fide errores celebratum  
 sub Innocentio papa II. circa annum Domini MCXLIII.

NOTA.

<sup>a</sup> *Concilium.* ] Postquam Tyrius praedictis capitibus de Antiocheni Concilii actis egisset, de rebus in hac Synodo gestis ista ait: *Legatus* <sup>Acta Con-</sup> *igitur, deposito patriarcha, & consummatis apud Antiochiam pro-* <sup>clii.</sup> *quibus venerat negotiis, Hierosolymam reuersus est: ubi vsque ad solennitatem paschalem moram faciens, habito prius consilio cum praelatis ecclesiarum, tertia post sanctum pascha die, vna cum domino patriarcha, & episcoporum nonnullis, templum Domini solenniter dedicauit. Adfuerunt ibi dedicationis die multi tam de partibus ultramontanis, quam de cismarinis regionibus, magni & nobiles viri. Inter quos adfuit & dominus Ioscelinus iunior, comes Edessanus, qui tunc in solennibus sancti pascha diebus magnifice nimis in ciuitate moram faciebat. Qua celebritate completa, conuocatis archiepiscopis, episcopis, & aliis ecclesiarum praelatis, vna cum domino patriarcha Concilium celebrauit, in primitiua Concil. Tom. 27.*